31

# Littere fidei ~~Sacrae~~ Regie Majestatis ~~Fidei~~ ad Electorem Moguntinum

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniae, etc. ~~etc.~~
Reverendissimo in Christo Patri, Domino Archiepiscopo Moguntinensi, Sacri Romani Imperii Electori, per Germaniam Primati, et Archicancellario, amico nostro charissimo, salutem et mutui amoris continuum incrementum.
Reverendissime in Christo Pater, amice charissime.
Mittimus ad Caesaream Majestatem, Sacrique Imperii Ordines Reverendum Dominum Hieronymum de Rozdrazew et in Bomsdorff comitem, Episcopum Vladislaviensem et Pomeraniae, eidemque ut Reverendissimam quoque Paternitatem Vestram quam amicissime a Nobis salutaret, ejusdemque in negotiis sibi commissis studio uteretur, mandavimus. Quibus si Reverendissima Paternitas Vestra quemadmodum de ipsius humanitate atque aequitate omnino Nobis persuademus, ei non defuerit, ad omnem rursus benevolentiam propensionemque sibi praestandam non parum Nos devinxerit. Reverendissimam Paternitatem Vestram bene valere cupimus. Grodnae, die 10 Julii, Anno 1582, [MDLXXXII.] Regni vero nostri anno septimo.